



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

20. De corpore Vitiatis ordinandis vel non

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

TITULUS XX.

De Corpore vitiatis Ordinandis,
vel non.

Q. 1. *An & qui ob vitium corporis incapaces sint Ordines suscipiendi?* *Resp.* 1. Vitiatos corpore repelli ab Ordinibus constat. *tot. h. tit. & c. 4. & seq. dist. 55.* præsertim si defectus aut vitium tale sit, per quod vel absolutè, vel congruus saltem usus Ordinis, præprimis celebratio Missæ impediatur.

Resp. 2. Vitiati corpore sunt in triplici differentia: alii dicuntur *debiles*, qui membrum aliquod habent ad sacrum ministerium inutile, v. g. manum aridam oculum cæcum; vel qui continuo gravi morbo laborant, v. g. paralyfi. *Alii deformes*, qui enormem habent maculam, vel membri alicujus defectum, excessum, contractionem distorsionem. *Alii mutilati*; qui carent aliquo membro, quale dicitur ea pars corporis, quæ ad certum officium à natura deputata, distinctam in corpore operationem habet; ut sunt lingua, oculus, auris, manus non digitus.

Q. 2. *Qui in specie DEBILITATI prohibeantur à susceptione Ordinum?* *Resp.* 1. *Cæci*, h. e. vi tantum visivâ carentes, licet utrumque oculum sine deformitate habeant; non tamen lippi, lufci, aut citra notabilem deformitatem oculis distorti; nec etiam in oculo sive dextro, quod certum, sive sinistro oculo seu Canonico, si de cætero sit integer, vi solùm visivâ destituti sunt irre-

irregulares. *Engel. h. n. 5.* 2. Prohibentur ab Ordinibus *suscipiendis* surdi & muti, licet aures & linguam habeant. *c. 77. Apost.* non surdastri, nec, regulariter loquendo, balbutientes. 3. Qui standi vel ambulandi facultate destitutus, aut nanus est, ut brachia ad ministerium altaris atollere sufficienter non possit. 4. Paralytici & podagrici *quasi continui*, leprosi, lunatici, epileptici, dæmoniacy &c. Et prædicti sunt probabilius ita irregulares, ut etiamsi absque notabili indecentiâ alias functiones Sacerdotum (exceptâ celebratione Missæ) aut inferiorum Ordinum exercere possint, non tamen valeant ordinari. Ratio, quia impeditus à celebratione ob vitium vel defectum corporis, *absolutè* est irregularis, adeoque ab omni Ordine exclusus.

Q. 3. Quinam DEFORMES prohibeantur à SUSCEPTIONE Ordinum? Resp. 1. Ii, quibus *erutus* est unus oculus, quia id absque notabili deformitate nequit contingere; etiamsi habeant oculum fictitium. *Engel. h. t. n. 6.* 2. Qui naribus vel auriculis truncati sunt. 3. Utroque vel altero pede carentes, aut valdè deformiter claudicantes. 4. Monstruosi, quales sunt Hermaphroditi, etsi sexus virilis prævaleat, &c. 5. Judicare utrum deformitas sit notabilis, adeoque promotionem ad Ordines impediât, pertinet ad *Episcopum*; si *certa* sit *irregularitas* ex vitio corporis proveniens dispensat *regulariter* solus S. Pontifex, rarò tamen ob periculum irreverentiæ Sacramento inferendæ.

Q. 3.

Q. 4. Quinam MUTILATI impediuntur à suscipiendis Ordinibus? Resp. Qui culpa propria se vel toto membro, vel ejus parte mutilarunt, vel mutilationem procurarunt etiam si mutilatio Ordinem non impediatur, neque deformitatem inferat, quia v. g. membrum est occultum, non possunt ordinari; non ab deformitate, sed ob fevitiam in se exercitam. c. 4. & 6. dist. 55. c. 3. h. t. Huc referuntur, qui se ipsos castraverunt, vel id permiserunt, sive studio castitatis c. 1. dist. 55. c. 4. h. t. vel causâ servandæ vocis. atq. can. cit. & c. 5. h. t. Non tamen, qui vel inviti, vel inscii quid simile passi sunt. Ratio, quia tunc cessat omnis causa, imponendi irregularitatem.

TITULUS. XXI.

De Bigamis non Ordinandis

Q. 1. Quid sit Bigamia & quotuplex? Resp. ad 1. Est iteratio matrimonii consummati, seu divitio carnis in plures successive uxores, inducens irregularitatem, non ob culpam [licita est enim & trigamia] sed quia tale secundum matrimonium consummatum patitur defectum in significatione Sacramentali matrimonio aliâs propria juxta Apost. Eph. 5.

Resp. ad 2. Bigamia passim dividitur in propriam seu veram, interpretativam, & similitudinariam.

Q. 2. Quid sit Bigamia vera & quando contrahatur? Resp. Bigamia vera est, dum quis successive cum duabus valide contrahit. c. fin. dist. 26.

c. 5.